



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 27. Lotharius ad Imperii consortium assumitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

de fore, si consecratus Legatos Regi Francorum mitteret, ad pacem conferendam. Hoc ultimum itidem est suspectum; exinde enim sicut prius Reges Electionem Papæ, antequam consecrarentur, approbarunt. Quod factum eodem Ludovico regnante videbimus. Huic Donationi Ludovicus Imperator, tres ipsius filii Lotharius, Pipinus, & Ludovicus, Episcopi decem, Abbates octo, Comites quindecim, Bibliothecarius unus, Mansionarius unus, & Ostiarius unus subscripserunt.

§. XXVII.

Lotharius ad Imperii consortium assumitur.

Hæc subscriptio indicare videtur, ista *Charta* di-
fuisse acta in Comitibus ab Impera-
tore Ludovico Aquisgrani eodem anno
octingentesimo decimo septimo, Regni
sui quarto, in æstate celebratis, ubi to-
ti frequentiæ hanc proposuit quæstio-
nem: *An illud differendum, quod ad Re-*
gnum stabiliendum facit? Omnibus re-
spondentibus, neutiquam esse differen-
dum, Imperator quod paucis consciis a-
nimo constituerat, aperuit, velle se, cum
adhuc viribus valeret, & perpendisset,
quam caduca res esset vita humana, uni-
trium filiorum suorum Nomen Impera-
toris tribuere. Hoc consilium ut se-

Sæculum IX.
A.C. 817.

vis. to. 1.
capit. p. 574.
Ann. Eginh.
Astron.

Sæculum IX.
A. C. 817. cundaret Deus, triduanum jejunium omnibus imperavit. Sacerdotes interim Sacrificia offerrent, cuncti vero elemosynas solito largius darent, quibus mitigatum Numen suam voluntatem in tanto negotio manifestaret. His præmissis Ludovicus filium suum Lotharium natu maximum Imperatorem appellavit, & ceteris duobus aliquas Regni partes dedit, Pipinum Regem Aquitaniæ & Ludovicum Baviariæ Regem salutans, ea tamen conditione, ut omnes partes non tria Regna sed unum efficerent. Ludovicus Imperator hujus Divisionis Acta conscribi jussit, eaque unacum filio suo Lothario Romam misit, a Pontifice ratihabenda & confirmanda. Voluit quoque, ut hæc Acta cum juramento reciperent omnes subditi sui, qui lubenti animo Sacramento, quod legitimum & Regno utile credebant, se obligarunt.

§. XXVIII.

Monachi reformantur.

Leo Ost. 1.
c. 19.

vit. 47. to. 5.
Act. Ben.
p. 210.

In eodem Conventu Aquisgranensi, decima Julii Abbates ediderunt Constitutionem pro Monachis, cui postea par ferme Reverentia ac Regulæ S. Benedicti habita. Abbatum illorum Caput & Reformationis Auctor erat S. Benedictus Anianensis; eum enim Ludovicus Imperator, olim, cum Rex Aquitaniæ esset, sibi